

esset. Nihil mirum ergo si quandoque illius emptor sit diabolus.

Tertio, libido, necnon conjugalis intemperantia. Idcirco Asmodæo licuit septem sponso Saræ interficere, Tob. VI. ideo Corinthius incestuosus Satanæ traditus ab apostolo, I. Corinth. V. ideo apud Prosperum, l. de dimid. temp. cap. VI. juvenula Araba natione, ancillæ Dei habitum gestans cum in balneo lavans simulacrum quoddam Veneris impudice respiceret et seipsam, eique se consimilaret, statim diabolus guttur ipsius occupans, per septuaginta fere dies totidemque noctes jejunam prorsus tenuit, donec applicatione calicis consecrati ad guttur puellæ per sacerdotem expulsus est. Nimirum mundo cordi promissa est Dei visio, impuro autem cordi dæmonis debetur aspectus et consortium. Ad hæc obscenitate hominum valde delectatur dæmon et maleficæ omnes Veneris mancipia sunt, nec inter eas ulla virgo permanet. Quod ad conjugium attinet: *Ostendam tibi*, inquit Raphael ad Tobiam, Tob. VI. *qui sunt, quibus prevalere potest dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus.* Quoniam ergo isli Deum a domicilio cordis sui excludunt, facile subintrat dæmon, quia vacuum reperit. Unde de immundo spiritu, de quo in hodierno evangelio audivimus, Matthæus, capite XLII. scribit, quod revertens in domum de qua exierat, invenit eam vacantem, et tunc assumpserit septem alios spiritus nequiores se et habitavit ibi. Vacantem invenit domum, cum Dei gratia vacuum et spureitiis plenam.

Quarto, odium proximi et invidia. Ut enim charitas metatrix est Dei, domicilium præparans Spiritui sancto: sic odium et invidia charitati contraria domum instruit diabolo et in eam introducit. Odium et invidia vitium est diabolicum, quid mirum ergo si pares cum paribus facile congregantur?

Quinto, justorum virorum afflictio et cædes injusta et crudelis. Sic Boleslaus impius rex ob necem S. Stanislai, anathemate ictus, amens factus, a propriis canibus est devoratus, apud Surium, in vita S. Stanislai, 8. maii. Sic peremptorum S. Kiliani et sociorum alter a dæmone arreptus, igne se consumi clamabat et propriis dentibus seipsum dilanians vitam finit: alter in rabiem versus gladio se petiit. Geyla ducissa, quæ sicarios martyribus immiserat, et ipsa crudeliter usta et cruciata, ut a multis vix teneri posset, miseram expuit animam, apud Surium, 8. julii. Item calumnia et ma-

ledictio in sanctos effusa, ut in histor. D. Gregorii Agrigent. apud Surium, mense novembri, et in hist. S. Malachiæ, apud S. Bernard.

Rursum execratio seu imprecatio mala: vide exempla apud Delrium, loco citato. Unum accipe ex Cantipratensi. « Cum tres, inquit, combibones in taberna mero incaluisent, orto de animæ immortalitate et pœnis inferni sermone, unus procacior id totum pro nugis habere et commentis sacrificiorum; cæteri jocanti applaudere. Interea advenit unus, magna vir statura et vasto corpore, et assidens: Qui hi, ait, sermones? Quæ risus causæ? Refert procax ille et addit, se quidem licitanti haud magno pretio animam venditurum, quin et pecuniam in symbolum collaturum: Tu vero insit adventor, quanti illam mihi indicas? Nec mora, conveniunt de pretio, hic animam addicit emptori, emptor solvit: potatur strenue de præsentate pecunia. Denique, sub noctem: Tempus, ait emptor, ut ad propria quisque. Sed vos jus dicite: Si quis equum capistro ligatum emerit, nonne jus ei cum capistro equum abducendi? Et cum dicto venditorem tremantem in omnium oculis abripit, et sursum in aera levat, et secum ad infernum trahit, visurum quod credere noluerat. » Sic ille, lib. II. cap. LV. p. V. vir fide dignissimus ex ordine S. Dominici.

Item blasphemia, propter quam apostolus Alexandrum et Hymenæum dæmoni torquendos permisit, I. Tim. I.

Sexto, pusillanimitas et desperatio, cum mœrore oppressi a Deo vel non petunt auxilium, vel se e malis eripiendos diffidunt: qua de causa multi se dæmoni ut auxiliatori subiciunt. Ad istos siquidem decipiendos facile sibi dæmon aditum parat. Sunt enim consilii inopes et novarum rerum studiosi, animo item perturbato, qui facile decipiuntur.

Deinde, veniales etiam quandoque culpæ, uti apud Cassianum, collat. II. cap. XIII. D. Greg. lib. I. dial. cap. IV. partim ut eas hoc pacto diluant, partim ut sanctis viris sua liberatione famam augeant, partim ut ab omni delicto sive magno sive parvo fugiendum semper intellegamus.

Habemus itaque cur Deus non cohibeat omnino dæmones ab infestatione hominum. Itaque omnia bene fecit. Sufficit nobis quod præter ejus voluntatem nocere nobis nequeant, quod vel ex eo ostendit S. Augustinus, lib. II. contra advers. leg. cap. ult. quia nec in porcos ingredi poterunt nisi obtenta a Christo potestate. Sufficit nobis quod in anima contra voluntatem nostram

nihil omnino possint. Hæc ergo solum caveamus, et dicamus cum Davide, Psal. CXVII. *Domine mihi adjutor et ego despiciam inimicos meos.*

CONCIO IV.

REMEDIA ADVERSUS MALEFICIA ET DÆMONUM INFESTATIONES.

I. Fides viva. — II. Opera satisfactoria. — III. Invocatio nominis Jesu et Deiparæ. — IV. Signaculum sanctæ crucis. — V. Sanctorum reliquiæ. — VI. Sacramentorum usus. — VII. Sacramentalia.

THEMA.

Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Luc. XI.

Tametsi aliæ causæ a doctis afferuntur, quam ob rem princeps dæmoniorum, de quo in hodierno evangelio, Beelzebub vocetur, hoc est, princeps muscarum: ego vero propterea rectissime sic vocari arbitror, quod dæmones, quorum princeps Beelzebub, muscis sint simillimi. Primo quidem, quia uti muscæ in aere volitantes perpetuo infestant pecora et homines, stantes, ambulantes, vigilantes, dormientes, et quidem magno numero: sic etiam aerei dæmones perpetuo nobis insidiantur et ingenti numero, ubicumque locorum simus. Secundo, quia uti muscæ admodum importunæ sunt, et abactæ statim redeunt, ita etiam dæmones; unde quidam in hodierno evangelio: *Revertar in domum meam*, inquit. Tertio, quia sicut muscæ sunt animalcula impudentissima, nec tantum in faciem hominum involant, sed et in os et oculos; ita etiam dæmones, absque omni pudore turpissima et horrendissima quæque exigere ab hominibus minime erubescunt; veluti perpetuam subjectionem Christi et sanctorum abnegationem, imo adorationem sui, quod ab ipso Christo exegit tentator, et similia. Denique, quia uti muscæ, infirmum pecus, facillime abiguntur, flagello tenuissimo, neque ensis aut fustis necessarius; ita etiam dæmones facillimis modis a Christianis abiguntur, solo nomine Dei, signo crucis, aqua benedicta, etc. Quo sensu accipere possumus illud Domini: *In digito Dei ejicio dæmonia*, hoc est, in minima Dei virtute. Quare ut has muscas a nobis abigamus, tradere vobis flagella aliquot institui, ut videbimus.

I. Vera et viva fides, charitate nimirum Dei et proximi suffulta. Hanc apostolus suadet Ephesis, cap. VI. dicens: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea*

extinguere. Hanc discipulis suis commendat S. Antonius: *Magna, inquit, dilectissimi adversus dæmonem arma sunt vita sincera, et intemerata in Deum fides.* Sic Cypriano mago, conanti suis veneficiis Justinam virginem christianam in amorem juvenis alicujus pellicere, respondit dæmon, se Christi fide munitis nocere non posse, Nazianz. orat. in Cypr. Unde hic postea conversus fidem suscepit et martyr factus est. In B. Ambrosium Justina Augusta maleficum quemdam nomine Innocentium immisit, qui postea palam fassus est se delegasse dæmones, qui Ambrosium interficerent, sed ne ad fores quidem domus ejus accedere potuisse eo quod ignis insuperabilis omne id ædificium communit, a quo vel procul etiam urerentur, Paulinus, in vita Ambrosii. De talibus enim proprie scriptum est: *Quoniam angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, etc. Super aspidem et basiliscum ambulabis, etc.* Sequitur causa: *Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, ut patet in S. Ambrosii ædibus flamma velut muro cinctis, etc.* ut sic impleretur id Zach. II. *Et ero ei dicit Dominus, murus ignis in circuitu.* Refert etiam Cassianus, collat. VIII. cap. XVIII. philosophos duos magicis artibus dæmones immisisse in cellam D. Antonii ad eum exturbandum de monasterio, sed ne ad punctum quidem id potuisse, licet alii et alii nequiores prioribus submissi essent. « Quo experimento probavit et definivit beatus Antonius, (Cassianus, capite XIX. ibidem,) nullatenus dæmonem posse mentem cujusquam vel corpus invadere, nec habere facultatem in cujuslibet animam irruendi, nisi eam primo destituerit omnibus cogitationibus sanctis ac spirituali contemplatione vacuum nudamque reddiderit. » Quæ sententia optime congruit cum dominica illa in hodierno evangelio: *Veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. Tunc dicit: Revertar in domum meam, etc.* Vacantem intellige a bonis cogitationibus et operibus.

II. Opera satisfactoria, oratio, jejunium, eleemosyna. Quæ videtur mihi significare voluisse Raphael per piscis cor, fel et jecur, cum præcepit ea Tobie asservanda pro remedio; cor quidem et jecur ad dæmonis effugationem, fel ad oculos illuminandos, Tobie VI. Cor orationem, fel jejunium, jecur quod cibum omnibus membris partitur, eleemosynam representat. Unde horum explicationem videtur postea tradidisse cum dixit: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna*, Tobie XII. Testis expertus Sanctus Antonius, qui discipulis dicebat: « Mihi credite,

fratres, pertimescit Satanas piorum vigiliis, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, misericordiam et humilitatem, maxime vero ardentem amorem in Christum Dominum, cujus unico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit. De oratione et jejuniis testatur idem Dominus, Matth. XVII. *Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.* Quod attinet ad orationem; præcipua dignitas et efficacitas tribuitur orationi Dominicæ et symbolo apostolorum, deinde salutationi angelicæ. Anno 1349. quidam post confessionem (refert Del. l. VI. disquis. cap. II. sect. III. quæst. III.) media nocte penitentiam sibi iunctam persolvens, vidit repente feles, mures et similes atras bestias visuque terribiles, cubiculum totum occupare. Qua re perterrefactus ac metuens ne a bestiis abriperetur, anxius ad imaginem Christi opem magna voce implorat: moxque omnes illæ species evanescere tanto cum impetu et fragore, ut domus ruere videretur. In litteris e Japonia scriptis, anno 1396. scribit Lud. Frois nobilem quemdam in regno Fingano filiam obsessam, postquam ter Dominicam orationem et salutationem angelicam super eam pronuntiasset, rosario verberasse ac dixisse: *Tu videre mihi dæmon aliquis: excede ex hoc corpore: et respondit dæmon: Non excedam.* Pater, ut erat homo virtute præstans, rosarium injicit in ejus collum dicens: *Velis nolis, excedas.* Tum dæmon: *Tollite, inquit, rosarium quia abscondit mihi collum, et tunc recessero.* Respondit Pater: *Minime tollam;* imo funes quosdam arripiens, minatus est se eum diverberaturum: et sic dæmon excessit, etc.

III. Invocatio devota nominis Jesu vel Christi, vel Mariæ Virginis, necnon imploratio auxilii angeli custodis, et S. Michaelis præcipue. De primo et tertio alibi diximus. Invocatio Deiparæ quantum in hac re possit, vel ex figura ejus, arca fœderis cognosci potest. Hæc enim hostibus terrore fuit sola sua præsentia, ut patet, Jos. VI. l. Reg. IV. Unde et Moyses, quoties in deserto ad protectionem elevabatur arca, dicebat: *Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te, a facie tua,* Numer. X. Quanto magis hoc præstabit vera illa et viva Christi arca Maria, cum per devotam invocationem elevatur et infertur castris nostris? Cujus veritatis passim exempla extant. Refert Thomas Morus, libro I. dial. cap. XVI. apud Bredemb. lib. XXVII. Ipsuncti Angliæ oppido, dæmones ex obsessis ductis ad imaginem Beatæ Virginis, sola hujus præsentia mire exagitatos, discessisse. Horatius Tursellinus, libro IV. hist. Laure. capite XXXIII. scribit juvenem quemdam flagitiosum, postquam

multarum matrum familias pudorem expungnasset, demum ut certe cujusdam mulieris amore potiretur dæmonis opem incantationibus implorasse. Spondet itaque dæmoni subjectionem, Christum abnegat, jurat conceptis verbis et chirographo suam illi obstringit fidem. Postmodum, ubi copia fastidium peperit, magnitudinem secleris sui perpendere cæpit. Itaque Deum Deique opem implorare incipiens Lauretum ire proponit ad expianda scelera. Ibi sacerdotem idoneum nactus, ita demum ab eo intellexit spem sibi salutis fore, si precibus, jejuniis et castigatione corporis Deum placare vellet. Jussus ergo per triduum id facere una cum imploratione Deiparæ, sacerdote interim rem divinam pro illo faciente: postea Virginis sacellum intrare, et sub præsidio ejus chirographum a dæmone extorquere. Ergo prostratus ante Virginem et lacrymas profundens, dum versiculos illos iterabat: *Monstra te esse matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus,* subito chirographum in manus suas delapsum conspiciet. Itaque præ gaudio vix seipsum capiens, amplius flere, et confessario suo schedulam adferre, quæ tot tantisque in Christum et in ipsum qui scripserat, diris et execrationibus referata erat, ut facile appareret a dirissimo humani generis hoste dictatam.

Hinc est, quod diabolus Dei sanctorum nomina pronuntiare renuit vel nequit ac periphrasibus describit, et disparet ad audita. Joannes Molin. in chron. Belgicæ, anno 1490. narrat dæmones ex energumenis Quercetensibus inter cætera conquestos, sibi a misericordiæ Matre manubias animarum plurimas quotidie eripi, necnon ab illo gigante pueri bajulo, et ab alia rotæ, et alia turris gestatrice; sic nimirum sacratis illis Mariæ, Christophori, Catharinæ et Barbaræ nominibus abstinuisse et ad picturam eorum alluisse. Refert Joann. Eyratus, in prato spirit. cap. CXCIX. in monasterio Raythu senem quemdam anachoretam visitatum aliquando a diabolo eremitæ speciem preferente, quasi consultaturo: quem cum anachoreta moneret, ut ante colloquium more consueto preces funderet, hac secum dimurmurabat: *Nunc et semper et in sæcula sæculorum.* Monitus vero ut præcedentia etiam verba, nimirum: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etc.* recitaret, mox evanuit, sacrosanctum istud nomen ne audire quidem sustinens.

IV. Signaculum s. crucis, ac quo etiam ambidictum. Fassi sunt hoc ipsi dæmones expulsi a S. Patapio apud Metaphr. mense novembri, clamantes: *Vere terribilis es, o Nazarene, vere*

terribilis es, et ubique in omnes obtines imperium. Quo ergo proficiscar? Si in desertum, si in civitatem, si ubicumque duxerit aliquis, tu illic prævenis; sola crucis figura, solo tuo nomine nos expellens. Cum Saraceni Hierosolymam cepissent et excitare in ea arcem vellent, fundamenta exorsi sunt murumque; sed vix a terra paries excitabatur, cum mane redeuntes viderunt omnia corruiisse. Operi rursus insistunt, vespere domum redeunt, mane revertuntur: cuneta humi prostrata vident. Cum sæpius id evenisset, resque jam passim divulgata esset et causa inquiretur, Judæi dixere, ideo sic accidere, quod in adverso colle crux esset collocata, quam si demoliretur, futurum ut mœnia amplius non conciderent, sed starent. Paruere consilio, opus repetere et stetit, Zonaras, tom. III. in vita Constantis, Heraclii nepotis. Nimirum uti Dagon stare coram arca non potuit, sed iterum iterumque corrui, l. Reg. V. ita gentilium machina coram crucis signo.

V. Sanctorum reliquiæ. Ita enim mirificavit Deus sanetos suos et confortavit principatum eorum etiam in terra, ut non solum viventes terrore essent dæmonibus, sed etiam mortui per reliquias suas. « Nam ut audaces latronum duces, (inquit Sanctus Chrysostomus, hom. de nat. septem Macchabæorum,) sive impii sepulcrorum effossores, si forte dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, arma vel ornamenta imperatoris incurrerint, quantumlibet cupidi prædarum, tamen ita agnitis regis insignibus deterrentur ut fugiant, neque cominus accedere vel attingere audeant: ita profecto dæmones, qui vere latronum et principes et magistri sunt, ubi armatorum martyrum corpora viderint posita, longe illico a conspectu eorum fugiunt et absistunt. Non enim ad naturam eorum intendunt, sed in arcanam dignitatem et gloriam Christi, qui in agone certantium induta corpora martyrum suorum sicut arma portavit. » Sic ille. Quod si Ciscas ille hæreticorum in Bohemia antesignanus putavit pellem suam, quam mortuo sibi detrahendam et tympano induendam voluit, fore hostibus suis terrorem, quid calumniantur hæretici, si et ipsa sanctorum ossa dæmonibus esse terribilia dicamus, quibus sancti viventes terror erant? S. Hieronymus adversus Vigilantium reliquiarum contemptorem, sic scribit: *Spiritus iste immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere, imo hodieque torquetur, et qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur.* Inter innumera exempla vel unum id sufficiat quod refert Chrys. orat. contra gentiles, Sozom. V. c. VII. Theodoret. et alii, de

corpore S. Babylæ episcopi Antiochensis et martyris sepulti in Daphne Apollinis templo. Hoc enim præsentem oraculum Apollinis ibi obmutuit, hanc silentii causam referens: *Daphnes locus cadaveribus scætet, id quod oraculum arceat.* Hoc audito jussit Julianus imper. illic absportari corpus martyris quod cum factum esset, ignis cœlitus demissus templi Daphnetici tectum cum Apollinis simulacro totum exussit. Nimirum noluit Deus, ut locus qui sanctorum reliquiarum contactu semel erat consecratus, rursus profanaretur superstitionibus gentilium.

VI. Sacramentorum usus legitimus. Habent enim ista vim et efficaciam ex aspersione sanguinis Christi, et sunt symbola quædam illius, quo nihil magis horret dæmon. Sed de his suis locis, ubi de singulorum sacramentorum efficacia dicitur, maxime de confessione et eucharistia. Neque mirum hoc; per legitimum enim sacramentorum usum dissolvuntur opera diaboli, destruitur ejus habitaculum, vallatur homo gratia et angelorum præsidio.

VII. Sunt sacramentalia, velut aqua benedicta, et cere, quas agnos Dei vocamus, item grana, cerei, sal et panis benedictus, campanæ sacratæ, evangelium S. Joannis, et symbolum apostolorum litteris exaratum et pie gestatum. Hæc enim arma Ecclesia nobis præbet potestate sibi a Christo data, Luc. X. *Ecce dedi vobis, inquit ad septuaginta discipulos, potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, (id est, cæcodæmones, juxta communem patrum expositionem) et supra omnem virtutem inimici.* Ad hæc sanctificat ea Ecclesia et precatur sponsum suum Christum, ut his armis vim repellendi dæmones et maleficia, conferre velit. Quis vero dicat singulorum quidem hominum preces audiri a Deo, ipsius vero Ecclesiæ non audiri? Accedit magna indigentia ejusmodi armorum corporalium contra tot tamque importunos hostes, qui non modo vigilantibus, sed etiam dormientibus perpetuo insidiantur; non ergo dubitandum, hæc talia præsidia a Christo nobis destinata. Denique, testatissima experientia docet omnibus sæculis Christianis usque in hodiernum prædicta arma dæmonibus non modo terrorem incussisse, sed et fugam imperasse, etsi quandoque certas ob causas suo loco relatas, inefficacia fuere. Exempla alibi referenda. Nunc unum ut alterum tangemus. Anno 1388. viro cuidam Treviris mulier rustica nescio quid ovorum offerebat: excipit pileo pedissequus, mox pileum ovis expositis imponit capiti, et statim usque adeo vexari cæpit dolore, ut pene desperet. Confugit nescius quid ageret in ædem sacram, incensum caput immergit in

vas promptum aquæ lustralis, convalescit. Maga compehensa in quaestione dixit, ova sic fuisse venientia, ut gustantibus interitum, extuberationem languentibus essent paritura, Delr. lib. VI. disquisit. cap. II. sect. III. quæst. III. Anno 1389. mulier quadam quæ chirographo, quod proprio sanguine conscripserat, se dæmoni devoverat, cum respiscenti illud dæmon sæpius ostendebat, freta divini agni præsidio, cujus imagine pectus munierat, cum reddi chirographum sibi jussisset, tandem vidit illud in cinerem et favillam conversum ad pedes sibi abjici. Idem ibidem ubi etiam pluribus videre exemplis est, nocuisse dæmonem hominibus, cum forte agnum Dei seposuere : nocere vero non potuisse gerentibus.

Quæ cum ita sint, superest ut his armis et flabellis a Christo et Ecclesia approbatis et oblatiis sedulo pieque utamur, inter tot muscarum infernalium examina. Nostra culpa erit, si tot tamque facilia remedia ad manum habentes, interim tamen negligentes, adversi aliquid patiamur. Laborat certe dæmon, ut his armis non utamur, quibus novit se superari : sicuti olim Philisthæi sedulo caverunt, ne esset faber ferrarius in terra Israel, qui posset eis fabricare arma, gladium aut lanceam : *Cumque esset dies prælii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi*, I. Reg. XIII. Ad eundem modum, in fœdere, quod expulsis regibus populo Romano dedit Persenna, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agricultura uterentur, ait Plinius, l. XXXIV. cap. XIV. Hoc idem fecit hæreticis nostris humani generis hostis, cum benedictiones apud ipsos et arma hæc spiritualia, fabros etiam eorum, sacerdotes, exterminavit, ut eos tanto liberius et securius exagitare queat. Primum etiam, quod a confœderatis sibi requirit dæmon, est, ut his armis se discingant, probe sciens, quid sibi ab his immineat. At non committamus nos, ut tale fœdus ineamus. Multa minus vero acceptemus ab ipso dæmone : quæ offert arma straminea ad imitationem ecclesiasticorum ab eo conficta, uti sunt schedulæ magicæ, ligaturæ, carmina, imagines. Quomodo enim credas efficaciam esse arma, quæ dæmon tibi offert contra seipsum? Num tu gladium mihi ferreum et acutum dares, insidiaturo tibi, et non potius coriaceum, si tamen aliquem dare velles? Igitur a matre nostra Ecclesia arma capiamus, non ab hoste nostro.

Denique, videndum, ne male his utamur, ad perniciem nostram. Cum enim nequit dæmon ea nobis eripere, laborat, ut perperam arrepta et tractata contra nos ipsos vertamus, veluti si quis cuspide gladii in se versa perfodere alium

capulo vellet; hic enim sibi ipsi potius gladium infingeret. Quod fit, cum piis verbis aut rebus benedictis aliquid superstitiosum admiscetur, verbi gratia, si fideret quis certæ figuræ vel coloris, tempori, numero, scripturæ. Item si effectus certo et infallibiliter expectaretur, etc. Non est iste digitus Dei, sed diaboli. Nos ergo, auditores, in virtute et digito Dei potius confidamus, cujus præsidio pellemus tartareas illas muscas, earumque principem Beelzebub, etc.

CONCIO V.

DEMONIS VIGILANTIA, QUÆ CUSTODIT SERVOS SUOS, PECCATORES.

I. In peccatis implicat. — II. Non infestat suos. — III. Blanditur illis. — IV. Negotiis sæcularibus occupat. — V. Volentes converti impedit. — VI. Affligit discessuros. — VII. Conversis insultat. — VIII. Liberatis rursus insidiatur.

THEMA.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Lucæ XI.

Refertur in collectore speculi, interrogatum aliquando dæmonem in obsessio a viro quodam sancto, quod esset illi nomen? Respondit dæmon : « Nos sumus tres, qui habitamus in isto homine, et ego vocor Claudens cor, estque officium meum, cor peccatoris claudere, ne eliciat contritionem. Si vero contritionem forte, me frustra reluctante, elicuerit, tunc habeo socium meum, qui vocatur Claudens os, qui ad hoc laborat, ut obserat illi os, ne peccata confiteatur. Quod si istum vicerit, et confessionem fecerit, habeo socium alterum, qui vocatur Claudens bursam, qui magnis conatibus agit, ut a restitutione honorum alienorum, adeoque a satisfactione retrahat confessum. » Ni fallor, dæmones isti affines valde erant dæmonio hodierno, quod secundum Lucam, hominem mutum, secundum vero Matthæum etiam cæcum et surdum quoque fecit. Cæcum, ne consideret peccatorum enormitatem : mutum, ne confiteatur : surdum, ne audiat confessarii monita ad faciendam restitutionem, deserenda odia, pellices, etc. Et quid sibi volunt ista dæmonum portenta? Nihil profecto aliud, quam incredibilem vigilantiam, quam adhibent ad retinendos in potestate sua peccatores. Et hoc est, quod ait Dominus in hodierno evangelio : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.* Mu-

nit enim se instar tyranni, postquam occupavit aliquod castellum, in aris, vallis, fossis, etc. Quod cum hoc præsertim tempore faciat, quo sibi timet, seque a plurimis impugandum, adeoque ejiciendum novit : idcirco Ecclesia modo hoc evangelium legit, ut in eo dæmonis malitiam, artes et technas nobis detegat, nosque accendat ad eum de cordibus nostris profigandum. Pugnans in hodierno evangelio pro animabus nostris duo capitanei, Christus et diabolus. Superavit dæmonem Christus et ejecit e suo castello : quod ipsum in peccatoribus omnibus facile efficiet, si tamen eos sibi consentientes et cooperantes habeat. Quare ut facilius dæmonem profigemus, inspiciamus, qua vigilantia mancipia sua custodiat.

I. Postquam dæmon aliquem redegit in suam potestatem per peccati mortalis admissionem, primo adlaborat, ut eum in peccato implicet et quodammodo vinciat, ne facile pedem referat. Dicit enim Oseas, c. IV. *Ligavit eum spiritus* (id est, diabolus) *in alis suis*. Quomodo nimirum alligavit rex Babylon Manassen regem, qui in oratione sua ait : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum*. Sic ligavit aliquando Davidem, unde lamentatur, Psalm. CXVIII. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. Dominus etiam Lucæ XIII. ait mulierem inclinatum, quam curaverat, alligatam fuisse a diabolo decem et octo annis. Alligatur vero et implicatur peccator, dum, dæmone instigante, peccata peccatis addit, donec in profundum veniens contemnat. Urget eum dæmon, ut admissum peccatum sæpius repetat, quousque paulatim habitum contrahat, a quo postmodum difficile se expedire potest. Est enim habitus peccati veluti funis crassus, qui a multis funiculis subtilioribus componitur; et licet singuli illi funiculi facile rumpi possint, conjuncti tamen rumpi, nisi ingenti vi, non possunt uti in se agnovit et lamentatur Augustinus, l. VIII. conf. c. XV. Cui facile assentietur, quicumque peccati alicujus habitum contraxit, quam ferreum sit vinculum, quo seipsum alligavit! Deinde, plura alia media adhibet diabolus ut peccatorem implicet; alios enim pravæ societati, connectit, quæ ipsum fortiter retinet, aliis alia vincula addit, ut cum apostatæ uxorem aut pellicem tradit, vel amplos redditus, magnam dignitatem, quibus illaqueatus retineatur in peccati ergastulo, aliis alios obices ponit, veluti pudorem, timorem, etc. Et ita sicut aranea, quando muscam reti suo adhesisse videt, mox eam sæpius gyratam multis laqueis induit, et ita implicatam in reti relinquit, veluti certam prædam suo tempore devorandam, sic ad unguem facit diabolus.

Sed non idcirco abjiciendus animus; nam uti vincula sua rupit Augustinus, ita rumpere et tu potes, cum Dei gratia : quomodo Samson funes, quibus ligabatur, velut aranearum telas rupit. Confide fortiter in Deo, et ejus præsidii spe munus fac quod in te est : aderit tibi Deus. Quoties legimus et vidimus ex malis factos bonos?

II. Nihil nocet suis, postquam eos in rete suam traxit nec infestat eos tentationibus, sed *in pace sunt ea, quæ possidet*, ait Dominus. Causa est, primo, quia jam illos obtemperantes et in quietâ possessione habet; sic canis non allatrat nec mordet domesticos, sed extraneos. In hujus rei typum Holofernes non inferebat bellum obtemperantibus sibi, sed rebellibus tantum. Venatores non cicuribus bestiis, bobus, ovibus, capris insidiantur, sed silvestribus et efferis, cervis, apris, damis, rupicarpis, etc. Ita etiam dæmon agit cum hominibus.

Secundo, quia jam spoliavit illos, nec habet amplius, quod adimat eis. Unde Chrysostom. hom. IV. de verbis Isaiaë : Vidi Dominum, ait : « Quomodo fit in navigiis, qui vacuum habent navem, non metuunt piratarum insultum; non enim veniunt, ut conterant navem nihil vehementem. Cæterum ii, qui navem habent onustam, metuunt piratas. Nam pirata illuc properat, ubi aurum, ubi argentum, ubi lapides pretiosi; sic et diabolus non facile persequitur peccatorem, sed justum potius, ubi multæ sunt opes. » Sic ille.

Bonos et perfectos acius infestat et tentat. Sic in hodierno evangelio domum mundatam et ornatam occupare laborat. Ita beatum Job tentavit. Quo nomine sibi tales gratulari debent : metuere vero illi, quibus pax est a dæmone.

III. Blanditur præterea illis, ita ut in utramque aurem secure dormiant in peccatis. Si enim conscientia obmurmurare incipiat, ipse eam acquietat opponendo, juventuti aliquid concedendum esse, longe adhuc abesse mortem, multos esse socios, magnam esse Dei misericordiam, etc. Multa etiam fictitia gaudia eis proponit, nunquam obtinenda, et sæpe montes aureos pollicetur. Ita Sichem, diaboli typus, postquam rapuit et oppressit Dinam, *tristem delinivit blanditiis*, Genes. XXXIV. sic servi Pharaonis benefaciebant Abrahamo, dum abstulisset illi uxorem Pharaon, Genes. XII. hunc in modum decepit dæmon Radbodum Frisæ ducem, ostensione pulcherrimæ mansionis ipsi destinatae, ut fingebat, atque ita jam conversioni proximum retraxit, Vinc. in spec. hist. lib. XXIII. cap. XLVI. Piscator captum hamo piscem, non statim extrahit, ne ille setam abrumpat, sed laxat et sinit unco bene indui hamoque inescari, quo securius capiatur : sic